



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Itaque cùm sequentes Pontifices aiunt se vices suas
Thessalonicensibus Episcopis committere secundùm morem,
intelligendum est illos firmitatem rebus jam constitutis tribuere, non verò
personæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Vnde & in fine epistolæ ad Episcopos per Illyricum, in qua de Anastasio agit tum recens ordinato Episcopo Thessalonicensi, ait se prædecessoribusque suis Pontifices Romanos constituisse ut Illyricianæ Ecclesiæ ad Anastasium pertinerent secundum veterem consuetudinem. Quod falsum omnino esset, si ad solum Anastasium referretur, non verò generaliter ad Episcopum Thessalonicensem, quisquis is tandem foret. Hæc sunt verba Sixti: *Nec credatis vobis minui quiddam reverentia illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricanas Ecclesias juxta morem traditum volumus pertinere, à vestra dilectione & servari volumus & deferri.* Idem dicendum est de epistola Leonis primi ad Metropolitanos per Illyricum constitutos: in qua eis significans se vices suas commisisse Anastasio, ait se id facere secundum exempla decessorum suorum, cum tamen constet neminem ante Leonem vices suas Anastasio commisisse præter Sixtum. Ridicula namque essent verba Leonis, nisi hac interpretatione mollirentur quam adhibuimus verbis Sixti. Sic namque loquitur Leo: *Vicem itaque nostram fratri & coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus.* Rectè ergo idem Sixtus dixit in epistola ad Perigenem, nihil se novum concessisse Anastasio, sed habita consideratione disciplinæ ecclesiasticæ id ei detulisse quod decessores sui Romani Pontifices detulerant illius decessoribus. Eodem loquendi modo ante Sixtum usus erat & Bonifacius in epistola ad Episcopos per Thessaliam constitutos, in qua Rufum vindicare studens à contemptu adversus Thessalos, ita loquitur: *Cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura Ecclesiarum sepe videtur in jactata.* Post istos Hormisdas in commonitorio quod dedit Ennodio & Peregrino Episcopis, quos Thessalonicam mittebat ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem pro causa Ioannis Metropolitanæ Epiri veteris, privilegia illa Thessalonicensi Ecclesiæ concessa fuisse testatur his verbis: *Certè redeat ad unitatem, & nos cum eo insistemus ut omnia privilegia quæcunque consecuta est à sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata serventur.*

V I. Quare cum videmus sequentes Pontifices, cum Episcopis Thessalonicensibus delegant vices suas, profiteri se id facere juxta morem antiquum, & priorum exempla judiciumque sequendo, tamen addant id se facere contemplatione etiam meritorum insignium virorum, intelligere debemus illos firmitatem rebus jam constitutis tribuere, non verò eam auctoritatem tribuere Ecclesiæ Thessalonicensi antistiti, ita ut eo extin-

cto, extincta quoque ita sit vicaria illa potestas ut ad successorem non transeat. Nam & ipse Bonifacius primus, cujus testificatione docuimus eam curam delegatam fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, id se facere ait more majorum in epistola ad Episcopos Illyrios: *Retro majores secutus, inquit, qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem, & in collegij caritate famulantem, dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt.* Sixtus etiam III. ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congreganda scribens de Anastasio Episcopo Thessalonicensi ait: *Nos fratri & coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus quantum decessoribus ipsius à nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur hoc constituendo quæ ab his novimus constituta.* Idem in epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes: *Nec credatis vobis minui quiddam reverentia illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricanas Ecclesias juxta morem traditum volumus pertinere, à vestra dilectione & servari volumus & deferri.* Leo I. in epistola LXXXV. ad Anastasium Thessalonicensem: *Sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam dilectioni tue, priorum secutus exemplum, vices mei moderamini delegari.* Idem Episcopis Metropolitanis per Illyricum constitutis: *Vicem itaque nostram fratri & coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus.*

V I I. Sufficere ista possent, ut arbitror, ad ostendendum vicariam illam Episcoporum Thessalonicensium dignitatem in consuetudinem venisse, ita ut quicumque Thessalonicensis esset antistes, is ex more ornandus esset apostolicæ sedis vicariatu per Illyricum. Facere tamen non possum quin adhuc ad eam rem probandam utar testimonio Nicolai primi, qui in epistola ad Michaëlem Imperatorem scripta ait indefinitè Thessalonicensem Episcopum secundum antiquum morem, quem restaurari postulat, habuisse vicem Ecclesiæ Romanæ per Epirum & nonnullas alias provincias quas hæc enumerat. Præstat autem integrum locum referre. *Oportet enim vestram imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini; quatenus vicem quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam ripensem, Daciamque mediterraneam, Mæsiam, Dardaniam, & Prævalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus presumat.*

V I I I. Sed quod Nicolaus admonet con-

Apud Hollen.
pag. 101.

Apud Hollen.
pag. 154.

101

Nicol. 1. ep. 1.

Vide
Nicol.
1. 2.